UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Q. Septimii Florentis Tertvlliani Carthaginiensis Presbyteri, Opera Qvæ Hactenvs Reperiri Potvervnt Omnia

Tertullianus, Quintus Septimius Florens

Coloniæ Agrippinæ, Anno M. DC. XVII.

De Testimonio animæ aduersus Gentes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-71872

Visual Library

A *lib.8.nihil eſt firmum aut ſtabile.* *Citatur autem* Pyrrhon *iſte Elienſis ab Athenæo & Suida.*

633. Callinicus.] *Celebratur à Suida Sophiſtes Petreius, qui inter cetera ſcripſit Orationes aliquot, inter quas (vti hinc colligitur) vna ad tolerantiam doloris & mortis adhortatoria.*

634. Vt omnem veniam ab eo compenſatione ſanguinis ſui expediat.] *Simile eſt illud D.Cypr.epiſt.52.ad Antoniam, vbi Martyres dicit ſtatim ad gloriam peruenire, fidei ſtatim & virtutis accipere mercedem, ſtatim à Domino coronari. Atque adeo hic locus adnotandus eſt contra eorum errorem, qui coronam iuſtitiæ, adeo & martyrij, ad diem vſque iudicij differendam dicere non verentur.*

LIBRI DE TESTIMONIO ANIMÆ ADVERSVS Gentes Argumentum, per Iacobum Pamelium.

B *QVVM videret Tertullianus, opuſculis quam probatiſsimis atq; lectiſsimis: pro Chriſtianæ fidei defenſione editis, fidem non inclinari humanam de incredulitate duritiam: nouum Teſtimonium Animæ aduerſus Gentes aduocat; latius proſequutus, quod Apologetici cap.* XVII. *paucis attigerat.*

I. *Imprimis per proſopopœiam ab anima adhuc rudi, impolita & idiotica, Chriſtianorum nomine, teſtimonium flagitans.*

II. *Deinde plures loquendi formulas in medium adducit, quæ omnibus in ore ſunt etiam nō Chriſtianis: Exēpli gratia:* Quod Deus dederit: Si Deus voluerit; Deus bonus eſt; Deus benefacit; Benedicat te Deus; Deus videt omnia; Deo commendo; Deus reddet; Deus inter nos iudicabit. *quibus manifeſte Deum vnicum & ſolum confitentur.*

III. *Porro & dæmonia, quamuis Chryſippi aliquis aſſentatur illudat, eſſe ea tamen, & abominationem ſuſtinere, exſecrationes publicas teſtatum facere; per quas & dæmonium & ſatanam pronunciare ſolent.*

IV. *Quinetiam animæ ſtatum, poſt vitæ diſpunctionem vel inde agnoſci; quod quoſdam miſellos, alios ſecuros nuncupent, dum alicuius defuncti recordantur; quod defunctis parentent;* C *quod cineri terram grauem & penes inferos tormentum imprecentur;* E *aut econtrario refrigerium compr.centur, & vt bene apud inferos requieſcant; quod poſtremam famam poſt mortem affectent; quod denique de iam pridem defunctis occurat dicere:* Abiit iam & reuerti debet.

V. *Atque omnia animæ Teſtimonia tanto communia, quanto naturalia; quanto naturalia, tanto diuina: friuola cuiquam non deberæ videri; cum ſit natura magiſtra, anima diſcipula; maxime cum prior anima quam litera, ſermo quam liber, ſenſus quam ſtilus; & homo quam philoſophus aut poeta; & ſi hæc eloquia de litteris vſurparit, anima potius de diuinis quam ſæcularibus; quippe quæ has ætate aliqua antecedant, vt ſuo loco edocuit Auctor, nempe Apologet. cap* XIX.

VI. *Credendum itaque animæ, atque adeo naturæ & Dei ipſius teſtimonio; eamque conueniendam, cum Chriſtianus quis timet fieri; præſertim cum omnium gentium nomen ſit vnus homo, vna ſit anima; varia vox, vnus ſpiritus; varius ſonus, ſed loquelæ communis mater. Deus & Dei bonitas vbique: dæmonium & maledictio eius vbique; atque adeo animæ in die iudicii exprobrandum fore:* Deum prædicabas, & non requirebas; dæmonia abominabaris, & illa adorabas; iudicium Dei appellabas, nec eſſe credebas; F Chriſtianum nomen ſapiebas, & perſequebaris.

Ceterum primus hunc librum edidit Gagnæus anno 1545. cum titulo dumtaxat: DE TESTIMONIO ANIMÆ; *qui quum ſatis obſcurus eſſet, adieci,* ADVERSVS GENTES. *Eundem deinde caſtigauit compuribus in locis Gelenius, ad Britannicum Lælandi exemplar. Tertulliani autem eſſe tum ſtylus difficilis ac ſententiis creber, tum dictum Libri argumentum ſatis conuincunt; ita vt demirer, quoſdam (alioqui eruditos viros) contrariam de ſtilo tenere ſententiam: præſertim quum D. Hieronymus plures libros aduerſus Gentes conſcriptos memoret Epiſtola ad Magnum, quorum vnum hunc eſſe cenſeo. His adde verba ipſius Auctoris libro de carne Chriſti, infra Tom.3.* Plenius hæc proſequitur libellus, quem ſcripſimus de Teſtimonio Animæ. *Vtinam ſuppetiſſet exemplar MS. vt licuiſſet emendatiorem in lucem emittere. ſed nolui ex ſolis coniecturis, niſi ijs locis, quos Latinus Latinius indicauit, quicquam caſtigare; è cuius notis non parum etiam confirmatur mea de hoc libro, tanquam Tertullianico, cenſura. Nos autem nunc primum Adnotationes addimus.* G

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE TESTIMONIO ANIMÆ LIBER ADVERSVS GENTES.

Cap.I. MAGNA [1] curioſitate & maiore longe memoria opus eſt ad ſtudēdum, ſi quis velit ex litteris receptiſſimis quibuſq; philoſophorum vel poetarum vel quorumlibet doctrina ſapientiæ ſecularis magiſtrorum teſtimonia excerpere Chriſtianæ veritatis; vt æmuli perſecutoreſq; eius de ſuo proprio inſtrumento, & erroris in ſe, & iniquitatis in nos rei reuincantur. [2] Nonnulli quidem, quibus de priſtina litteratura & curioſitatis labor & memoriæ tenor perſeuerauit, D ad eum modum opuſcula penes nos condiderunt, commemorantes & conteſtificantes in ſuggillationem & originem & traditionem & ſententiarum argumenta, per quę recognoſci poſſit, nihil nos aut nouum aut portentoſum ſuſcepiſſe; de quo non etiam cōmunes & publicæ litteræ ad ſuffragium nobis patrocinentur, ſi quid aut erroris eiecimus, aut æquitatis admiſimus. Sed ne ſuis quidem magiſtris, alias probatiſſimis atque lectiſſimis, fidem inclinauit humana de incredulitate duritia, ſicubi in argumenta Chriſtianæ defenſionis impingunt: tunc vani poetæ, cum deos humanis paſſionib. & fabulis deſignant: tunc philoſophi duri, cum veritatis fores pulſant. Hactenus ſapiens & prudens habebitur, qui prope Chriſtianum pronūciarit, cum ſi quid prudentiæ aut ſapiētiæ affectauerit, ſeu ceremonias deſpuens, ſeu ſeculum reuincēs, pro Chriſtiano denotetur. Iam igitur nihil nobis erit cum litteris & doctrina peruerſæ felicitatis, cui in falſo potius creditur, quam in vero. Viderint, ſi qui de vnico & ſolo Deo pronunciauerunt. Imò nihil omnino relatum ſit, quod agnoſcat Chriſtianus, ne exprobrare poſſit. Nam & quod relatum eſt, neque omnes ſciunt: neque qui ſciunt, conſtare confidunt. Tanto abeſt vt noſtris litteris annuant homines, ad quas nemo venit niſi iam Chriſtianus. Nouum teſtimonium aduoco, imò omni litteratura notius, omni doctrina agitatius, omni editione vulgatius, toto homine maius, id eſt totum quod eſt hominis? H Conſiſte in medio anima; ſeu diuina & æterna res es ſecundum plures philoſophos, eo magis non mentiens: Seu minime diuina; quoniam quidem mortalis, vt Epicuro ſoli videtur, eo magis mētiri non debebis, ſeu de cœlo exciperis, ſeu de terra cōciperis, ſeu numeris, ſeu atomis concinnaris, ſeu cū corpore incœperis, ſeu poſt corpus induceris, vnde & quoquo modo hominem facis animal rationale, ſenſus & ſcientiæ capaciſſimum. Sed nō eam te aduoco, q̄ ſcholis formata, bibliothecis exercitata, [4] academijs & porticibus Atticis partam ſapientiam ructas. Te ſimplicem & rudem & impolitam & idioticā compello qualē habēt, qui te ſolā habent, illam ipſam de cōpito, de triuio, de textrino totam. Imperitia tua mihi opus, eſt, quoniam

A aliquãtulæ peritiæ tuæ nemo credit.Ea expoſtulo, quæ
tecum in hominem infers, quæ aut ex temetipſa, aut ex
quocunque auctore tuo ſentire didiciſti. Non es, quod
ſciam, Chriſtiana, fieri enim, non naſci ſolet Chriſtia-
na. Tamen nunc à te teſtimonium flagitant Chriſtiani,
ab extranea aduerſus tuos, vt vel tibi erubeſcant, quod
nos ob ea oderint & irrideant, quæ te nunc conſciam
II. detineant. [5 Non placemus, Dominum prædicantes
hoc nomine vnico vnicum, à quo omnia, & ſub quo
vniuerſa. Dic teſtimonium ſi ita ſcis. Nam te quoque
palam & tota libertate, qua non licet nobis, domi ac
foris audimus ita pronunciare: *Quod Deus dederit*, &, *Si
Deus voluerit*. ea voce & aliquem eſſe ſignificas, & omnẽ
illi confiteris poteſtatem, ad cuius ſpectas voluntatem,
ſimul & ceteros negas deos eſſe, dum ſuis vocabulis
nuncupas, Saturnum, Iouem, Martem, Mineruam.
Nam ſolum Deum confirmas, quem tantũ Deum no-
minas, vt &, cum illos interdum deos appellas, de alie-
B no & quaſi pro mutuo vſa videaris. De natura quoque
Dei quam prædicamus, nec te latet: *Deus bonus eſt*, *Deus
benefacit*, tua vox eſt. Plane ea dicis, ſed homo malus
ſcilicet, conttaria propoſitione oblique & figuraliter
exprobrans, ideo malum hominem, quia à Deo bono
abſceſſerit. Etiam quod penes Deum bonitatis & beni-
gnitatis [6] omnis benedictio inter nos ſummum ſit di-
ſciplinæ & conuerſationis ſacramentũ: *Benedicat te Deus*,
tam facile pronuncias, quam Chriſtiane neceſſe eſt. At
cum id maledictum conuertis in benedictionem Dei,
perinde dicto omnem ſuper nos poteſtatem eius con-
ſiſtere ſecundum nos confiteris. Sunt qui etſi Deum
non negent, diſpectorem plane & arbitrum, & iudi-
cem non putent: in quo vtique nos maxime reijciunt,
qui ad iſtam diſciplinam metu prædicati iudicij tranſ-
uolamus: ſic Deum honorantes, dum curis obſeruatio-
nis, & moleſtijs animaduerſionis abſoluunt, [7] cui ne
iram quidem adſcribunt. Nam *ſi Deus* (inquiunt) *iraſci-
tur, corruptibilis & paßionalis eſt. Porro quod patitur, quod-
que corrumpitur, etiam interitum poteſt capere, quem Deus non
C capit*. At idem alibi animam diuinam & à Deo collatam
confitentes, cadunt in teſtimonium ipſius animæ retor-
quendum aduerſus opinionem ſuperiorem. Si enim
anima aut diuina aut à Deo data eſt, ſine dubio dato-
rem ſuum nouit. Et ſi nouit, vtique & timet, vt tantum
poſtremo auctorem. An non timet, quem magis propi-
tium velit quam iratum? Vnde igitur naturalis timor
animæ in Deum, ſi Deus non nouit iraſci? Quomodo
timetur, qui neſcit offendi? Quid timetur, niſi ira? Vn-
de ira, niſi ex animaduerſione? Vnde animaduerſio,
niſi de Dei iudicio? Vnde iudicium, niſi de poteſtate?
Cuius poteſtas ſumma, niſi Dei ſolius? Hinc ergo tibi
anima de conſcientia ſuppetit domi ac foris, nullo irri-
dente vel prohibente prædicare, *Deus videt omnia*, &
Deo commendo, & *Deus reddet*, & *Deus inter nos iudicabit*, [8]
Vnde hoc tibi non Chriſtiana? Atque & plerunque &
[9] vitta Cereris redimita, & pallio Saturni coccinata, &
deæ Iſidis linteata. In ipſis deniq; templis Deum iudi-
cem imploras. ſub Æſculapio ſtans; Iunonem in aere
exorans, Mineruæ calceans furuis galeam formis, &
D neminem de præſentibus deis conteſtaris; in tuo foro
aliunde iudicem appellas, in tuis templis alium Deum
pateris. O teſtimonium veritatis, quæ apud ipſa dæmo-
nia teſtem efficit Chriſtianorum! [10 Enimuero cur
III. dæmonia adfirmamus eſſe? ſane quaſi non & probe-
mus, qui ea ſoli de corporibus exigimus. [11] Aliqui
Chryſippi adſentator inludit ea, & eſſe & abominatio-
nem ſuſtinere, execrationes tuæ reſpondent. [12] Dæmo-
nium vocas, hominem aut immunditia, aut malitia,
aut inſolentia, aut quacunque macula, quam nos dæ-
monijs deputamus, aut ad neceſſitatem odii oportu-
nam. Satanam denique in omni auerſatione & aſper-
natione & deteſtatione pronuntias, quem nos dici-
mus malitiæ Angelum, totius erroris artificem, toti-
us ſeculi interpolatorem, per quem homo à primordio
circumuentus, vt præceptum Dei excederet, & pro-
pterea in mortem datus, exinde totum genus de ſuo

ſermone infectum, ſuæ etiam damnationis traducem E
fecit. Sentis igitur perditorem tuum. Et licet ſoli illum
nouerint Chriſtiani. vel quæcunque apud Dominum
ſecta, & tu tamen eum noſti dum odiſti. [13 Iam nunc IV.
quod ad neceſſariorem ſententiam tuam ſpectet, quã-
tum & ad ipſum ſtatum tuum tendit, affirmamus te
manere poſt vitæ diſpunctionem, & exſpectare diem
iudicij, [14] proque meritis aut cruciatui deſtinari, aut
refrigerio, vtroque ſempiterno. Quibus ſuſtinendis
neceſſario tibi ſubſtantiam priſtinam, eiuſdemque ho-
minis materiam, & memoriam reuerſuram, quod &
nihil mali ac boni ſentire poſſis ſine carnis paſſionalis
facultate, & nulla ratio ſit iudicij ſine ipſius exhibitione
qui meruit iudicij paſſionem. Ea opinio Chriſtiana etſi
[15] honeſtior multo Pythagorica, quæ te non in beſtias
transfert, etſi [16] plenior Platonica, quæ tibi etiam do-
tem corporis reddit, etſi [17] Epicurea gratior, quæ te ab
interitu defendit. [18] tamen propter ſuum nomen ſoli
vanitati & ſtupori, & (vt dicitur) præſumptioni depu-
tatur. Sed non erubeſcimus, ſi tecum erit noſtra præ-
ſumptio. Primo enim cum alicuius defuncti recordaris
miſellum vocas eum: non vtique quod de bono vitæ F
ereptum, ſed vt pœnæ & iudicio iam aſcriptum. Cete-
rum alias ſecuros vocas defunctos. Profiteris & vitæ in-
commodum, & mortis beneficium. Vocas porro ſecu-
ros, ſi [19] quando extra portam cum [20] obſonijs & mat-
tæis tibi potius parentans ad buſta recedis, aut à buſtis
dilutior redis. At ego ſobriam tuam ſententiam exigo:
miſellos vocas mortuos, cum de tuo loqueris, cum ab
eis longe es. Nam in conuiuio eorum quaſi præſentibus
& conrecumbentibus ſortem ſuam exprobrare non
poſſis, debes adulari propter quod lætius viuis. Miſel-
lum ergo vocas qui nihil ſentit, quid quod vt ſentienti
maledicis, cuius memoriam cum alicuius offenſę mor-
ſu facis. [21] Terram grauem imprecaris, & cineri penes
inferos tormentum: æque ex bona parte, cui gratiam
debes, oſſibus & cineribus eius refrigerium compreca-
ris, &, vt bene requieſcat apud inferos, cupis. Si nihil
paſſionis eſt tibi poſt mortem, ſi nulla ſenſus perſeue-
rantia, ſi denique nihil es ipſa vbi corpus reliquiſti: cur G
mentiris in te, quaſi aliquid vltra pati poſſis? Imo cur
in totum times mortem, ſi nihil eſt tibi timendum poſt
mortem, qua nec experiendum poſt mortem? Nam etſi
dicere potes, ideo mortem timeri, non vt aliquid mi-
nantẽ, ſed vt commodum vitæ amputantẽ: atquin cum
& incommoda longe plura vitæ pariter excedas, & lu
cratione grauioris partis metum diluis, nec iam timen-
da eſt amiſſio bonorum, quæ altero bono, id eſt, incõ-
modorum pace, penſatur. Non eſt timendum, quod
nos liberat ab omni timendo. Si times vita decedere,
quia optimam noſti: certe mortem timere non debes,
quam malam neſcis? At cum times, ſcis malam. Non
ſcires autem malam, quia nec timeres, ſi non ſcires ali-
quid eſſe poſt mortem, quod eam malam faciat, vt ti-
meas. Omittamus nunc naturalem formam timendi
mortem. Nemo timeat, quod euadere non poteſt. Ex H
altera parte congredior Lætioris ſpei poſt mortem.
Nam omnibus fere ingenita eſt famæ poſt mortem cu-
pido, [22] Longum eſt retexere Curtios & Regulos, vel
Græcos viros, quorum innumera elogia ſunt contem-
ptæ mortis propter poſtumam famam. Quis non hodie
memoriæ poſt mortem frequentandæ iſta ſtudet, vt vel
litteraturæ operib. vel ſimplici laude morum, vel ipſo-
rum ſepulchrorum ambitione nomen ſuũ ſeruet? Vnde
anima hodie affectaret aliquid, quod velit poſt mortẽ
& tantopere præpararet quo ſit vſura poſt obitum, ſi
nihil de poſtero ſciret? Sed forſitan de ſenſu poſt exceſ-
ſum tui certior es, quam de reſurrectione quandoque,
cuius nos præſumptores denotamur. Atquin hoc quo-
que ab anima prędicatur. Nã ſi de aliquo iampridem
defuncto tanquam viuo quis requirat, præ manu oc-
currit dicere; *Abiit iã, & reuerti debet*. [23 Hęc teſtimonia V.
animę quãto vera tãto ſimplicia, quãto ſimplicia tanto
vulgaria, quãto vulgaria tãto cõnia, quãto cõnia, tanto
naturalia: quãto naturalia tãto diuina nõ putẽ, cuiquã

friuolum

A friuolum & frigidum videri poſſe, ſi recogitet naturæ
maieſtatem, ex qua cenſetur auctoritas animæ. Quan-
tum dederis magiſtræ, tantum adiudicabis diſcipulæ.
IV. Magiſtra natura, anima diſcipula. Quicquid aut illa e-
docuit, aut iſta perdidicit, à Deo traditum eſt, magiſtro
ſcilicet ipſius magiſtræ. Quid anima poſſit de principali
inſtitutore præſumere, in te eſt æſtimare de ea, quæ in
te eſt. Senti illam, quæ vt ſentias efficit: recogita in
præſagijs vatem, in omnibus augurem, in euentibus
proſpicem. Mirum ſi à Deo data homini nouit diuina-
re. Tam mirum, ſi eum à quo data eſt, nouit. Etiam
circumuenta ab aduerſario meminit ſui auctoris, &
bonitatis, & decreti eius, & exitus ſui, & aduerſarii
ipſius. Sic mirum, ſi à Deo data, eadem canit, quæ Deus
ſuis dedit noſſe. Sed qui eiuſmodi eruptiones animæ
non putauit doctrinam eſſe naturæ & congenitæ & in-
genitæ cõſcientiæ tacita commiſſa, decet potius de vẽ-
tilatis in vulgus opinionibus publicatarũ litterarum v-
ſum iam & quaſi vitium corroboratum taliter ſermoci-
nandi: 24 Certe prior anima quam littera, & prior ſer-
B mo quam liber, & prior ſenſus quam ſtylus, & prior ho-
mo ipſe quam philoſophus & poeta. Nunquid ergo
credendum eſt ante litteraturã & diuulgationem eius
mutos abſque huiuſmodi pronunciationibus homines
vixiſſe? Nemo Deum & bonitatem eius, nemo mor-
tem, nemo inferos loquebatur: mendicabat ſermo
opinor, immo nec vllus eſſe poterat, ceſſantibus etiam
tunc, ſine quibus hodie iam beatior, & locupletior, &
prudentior eſſe non poteſt, ſi ea quæ tam facilia, tam
aſſidua, tam proxima hodie ſunt, in ipſis quodammo-
do labiis parta, retro non fuerunt, antequam litteræ in
ſeculo germinaſſent 25 antequam Mercurius (opinor)
natus fuiſſet. Et vnde ordo ipſis litteris contingit, noſſe,
& in vſum loquelæ diſſeminare, quæ nulla vnquam
mens cõceperat aut lingua protulerat, aut auris excepe-
rat? At enim cum diuinæ ſcripturæ, quæ penes nos vel
Rom. 11. Iudæos ſunt, in quorum oleaſtro inſiti ſumus, multo
ſecularibus litteris non modica tantum ætate aliqua
C antecedant, 26 vt loco ſuo edocuimus, ad fidem earum
demonſtrandam: & ſi hæc eloquia de litteris vſurpauit
anima, vtique de noſtris credendum erit, non de ve-
ſtris: quia potiora ſunt ad inſtruendam animam priora,
quam poſtera, quæ & ipſa à prioribus inſtrui ſuſtine-
bant, cum, etſi de veſtris inſtructam concedamus, ad
originem tamen principalem traditio pertineat, no-
ſtrumque omnino ſit, quodcunq; de noſtris ſumpſiſſe
& tradidiſſe contingit vobis. Quod cum ita ſit, non
multum refert, an à Deo formata ſit animæ conſcien-
tia, an litteris Dei. Quid igitur vis homo, de humanis
VI. ſententiis literarum tuarum exiſſe hæc in vſus commu-
nis calloſitatem? [27 Crede itaque tuis, & de commẽ-
tariis noſtris tanto magis crede diuinis, ſed de animæ
ipſius arbitrio perinde crede naturæ. Elige, quam ex
his fidelius ſororem obſerues veritatis. Si de tuis litteris
dubitas; neque Deus, neque natura mentitur: vt & na-
turæ & Deo credas, crede animæ, ita fiet vt & tibi cre-
das. Illa certe eſt; quam tanti facis, quantum illa te facit
cuius es totus, quæ tibi omnia eſt; ſine qua nec viuere
potes, nec mori, propter quam Deum negligis. cum e-
D nim times fieri Chriſtianus, eam conueni: cur alium
colens, Deum nominat? cur, cum maledicendos ſpiri-
tus denotat, dæmonia procunciat? cur ad cœlum con-
teſtatur, & ad terram deteſtatur? 28 cur alibi ſeruit, alibi
vindicem conuenit? cur de mortuis iudicat? cur verba
habet Chriſtianorum, quos ne auditos viſoſque vult?
cur aut nobis dedit ea verba, aut accepit à nobis? cur aut
docuit, aut didicit? Suſpectam habe conuenientiam
prædicationis in tanta diſconuenientia conuerſationis.
Vanus es, ſi huic linguæ ſoli aut Græcæ, 29 quę propin-
quæ inter ſe habentur, reputabis eiuſmodi, vt neges
naturæ vniuerſitatem. Non Latinis nec Argiuis ſolis a-
nima de cœlo cadit. omnium gentium vnus homo no-
men eſt, vna anima, varia vox; vnus ſpiritus, varius ſo-
nus; propria cuique genti loquela, ſed loquelæ materia
communis. Deus vbique, & bonitas Dei vbique; dæ-
E monium vbique, & maledictio dæmonii vbique, iudi-
cii diuini inuocatio vbique, mors vbiq;, & conſcientia
mortis vbique, & teſtimonium vbique. omnis anima
ſuo iure proclamat, quę nobis ne mutire conceditur.
Merito igitur omnis anima rea & teſtis eſt: in tantum
& rea erroris, in quantum teſtis veritatis, & ſtabit an-
te aulas Dei die iudicii, nihil habens dicere. Deum
prædicabas, & non requirebas: dæmonia abomina-
baris, & illa adorabas: iudicium Dei appellabas, nec eſ-
ſe credebas: inferna ſupplicia præſumebas, & non prę-
cauebas. Chriſtianum nomen ſapiebas, & Chriſtia-
num perſequebaris.

ANNOTATIONES
IACOBI PAMELII IN LIbrum de teſtimonio animæ.

CAP. I.

MAGNA curioſitate, &c.] *Poſſit inſcribi caput hoc primum:* Præfatio. *neque enim aliud quam beneuolentia captata, totius libri argumentum paucis complectitur. Atqui adnotandæ ſunt, phraſes voceſque Tertullianicæ:* de ſuo proprio inſtrumento, *ac:* reuincantur, *pro* conuincantur.

F 2. Nonnulli quidem, &c.] *Alludit ad eos, qui ante ſe aduerſus Gentes ſcripſerunt, Græcos præſertim (nam ſecundus ab Apollonio Latinorum ſcriptorum à D. Hier. in Catalogo recenſetur) Quadratum dico, Ariſtidem, Iuſtinum Philoſophum, Anaxagoram, Melitonem, Theophilum Antiochenum, Apollinarium, Tatianum, Irenæum, Clementem Alexandrinum, & Militiadem: quorum quædam ad verbum pene ſuo Apologetico inſparſit, ad quem tacito nomine etiam hic videtur adludere. Adnotatu autem dignæ hic Tertullianicæ phraſes:* priſtina litteratura: conteſtificantes, in ſuggillationem: ſi quid erroris eiecimus: fidem inclinauit humana de incredulitate duritia: prope pronunciarit: pro Chriſtiano denotetur: viderint ſiqui: neque conſtare confidunt: *pro,* credunt: Tanto abeſt, *&* omni editione vulgarius.

G 3. Conſiſte in medio anima, &c.] *Proſopopœia ad Animam, à qua teſtimonium aduerſus Gentes depoſcit: in qua perſiſtit ad finem vſque capitis quarti. Varias autem de quibus hic paucis Epicuri, aliorumque Philoſophorum de Anima opiniones latiſsime recenſet infra Tom. 3. lib. de Anima. Hoc vnum hic dicam: nondum, quum hæc ſcriberet, fuiſſe Auctorem in errore de Animæ traduce aut corporea: quem poſtea incurrit, vt in Prolegomenis noſtris latius, maxime quum ſub finem dicat:* anima de cœlo cadit.

4. Academiis & porticibus Atticis, &c.] *Ita caſtigauit Latinius, pro* Academicis, *ex iam dicto libro de Anima, vbi iiſdem prorſus verbis vtitur, quo proinde etiam Lectorem ad Adnotationes noſtras remittimus. Rurſum autem vide phraſin Auctoris:* de compito, de triuio, de textrino (*voce Ciceroniana*) totam, *& iiſdem verbis, quibus in dicto Apologetico:* fieri enim non naſci ſolet Chriſtiana. *Item:* vt vel tibi erubeſcant, *quemadmodum & Q. Curtius li. 5.* erubeſcere fortunæ.

CAP. II.

5. Non placemus Dominum (*ſeu potius meo iudicio: Deum*) prædicantes, &c.] *Inſcribi merito debet hoc caput:* De vnico & ſolo iudice Deo. *Certe vel hinc patet hunc eſſe germanum Tertulliani fœtum, quandoquidem & ſupra Apol. c. 17. & infra T. 3. aduerſus Marcionem, & de Reſ. carn. iiſdem verbis, quanquam paucioribus, idem inculcet, & idipſum faciens l. de Carne Chriſti, nominatim, vt ſupra in argumento, hunc librum citet. Imitantur autem Auctorem* H & *Minutius in Octauio, & D. Cypr l. Quod idola non ſint Dii, & Lactant. cum l. 2. c. 1. ſcribit, Ethnicos Deum potius quam Iouem iuraſſe. Eſt vero etiam dura vox:* figuraliter, *pro:* figurate.

6. omnis benedictio inter nos ſummum ſit diſciplinæ & conuerſationis ſacramentum, &c.] *Eodem modo dixit l. de Pudicitia:* vt ſacramento benedictionis exautoraretur, *de quo ibi latius. Sufficiat addidiſſe, ibi loqui videri Auctorem de Euchariſtiæ Sacramento, hic vero de omnis generis benedictionibus, quib. Eccleſia vtitur. Locus proinde notandus aduerſus eos, qui eas calumniantur, quum eas hic appellet* ſummam diſciplinæ Chriſtianæ ſacramentum. *Neque vero de* benedictione *loqui, quæ laus Dei eſt, patet ex verbis illic adiunctis:* Benedicat te Deus, *quæ aut ad hominem aut ad creaturas quæ benedicuntur, referre neceſſe eſt, & (vti liquet ex T. 2. noſtrorum Liturgicõ Latinorum in l. Sacra. D. Gregorij, à p. 259. vſque ad 264. & lib. Sacra. Grimoldi Abbatis c. 1. & à c. 102. vſque ad finem) aut eadem ipſa aut ſimilia* benedictionibus *Eccleſiaſticis continentur. Neque etiam recentioribus dumtaxat ſeculis in vſum venerunt, ſed & ante legem, & in lege Moyſi (vt natura ethnicis inditam omittam cuius hic quoque fit mentio) & noui Teſtamenti tempore ſemper vſitatæ fuerunt. Exempli gratia: Sic* benedixerunt *Abrahæ Melchiſedech. Gen. 14. Heb. 7. Pharaoni Iacob, Gen. 47. Aaron plebi, Leu. 9. Dauid Berſillai Galaadite, 2. Reg. 19. Simeon Mariæ & Ioſeph*

Lucæ 2. in cuius locum ſucceſſit Epiſcopalis benedictio. Sic Noe, Iſaac, Iacob, & Mathatias iam morituri filijs ſuis, Gen. 14. 4. 48. Heb. 11. & 1. Mach. 2. item Moſes, Aaron, filij eius, & Ioſue populo Iſrael, poſt completas hoſtias, Leuit. 9 etiam formula præſcripta, Num. 6. & ante obitum, Deut. 28. Ioſuæ 8. Dauid & Salomon cum compleſſent ſacrificium eidem populo, 2. Reg. 6. & 3. Reg. 8 Chriſtus denique eleuatis manibus benedicens diſcipulos ſuos, in cœlum ferebatur, Marc. 19. Luc. 24. Act. 1. ad quorum exemplum ſub finem ſacrificii iam inde ab ætate Apoſtolorum datur benedictio. Sic ſponſæ Iſaac, & Tobiæ, Rebeccæ & Saræ, parentes benedictionem impertiti ſunt, Gen. 24. Tob. 7. & 9. vnde m ituata nuptiarum, quas etiam Chriſtus ſua præſentia benedixit, in Cana Galileæ, benedictio. Sic benedixit Elcanæ & vxori filioque Samueli Heli ſacerdos, 1. Reg. 2. & pueros Chriſtus complexans, imponenſque manus ſuper illos, benedicebat eos, Mat. 19. Luc. 10 ex quo orta infantiũ in baptiſmo benedictio. Sic Chriſtus panem & piſces benedixit, Mat. 14. Marc. 6. Ioan. 6. ac Matth. 15. Marc. 8. quem morem Eccleſia imitatur in Benedictione panis, quem benedictum nuncupant, de quo in Leiturgicis. ac ante cibi aut potus ſumptionem, Apoſtolo teſte, qua ſanctificari dicit creaturam per verbum & orationem, 1. Tim. 4. de quo vide Adn. noſtras in D. Cyprian. epiſt. 63. ad Cæcilium, n. 39. Sic aqua aſperſionis, quæ iuxta Alexandri PP 1. inſtitutionem benedicitur, ſucceſſit in Aſperſionem ſanguinis & aquæ, qua tum Aaron & filij eius tum veſtimenta ſacerdotalia & tabernaculum altare & ſanctuarium aſperſit Moſes. Leuit. 7. 16. & Exo. 24. Sic fit cineris benedictio feria quarta in capite quadrageſimæ ad imitationem Moſis, qui cinere vitulæ aſperſo omnem ſanctificauit congregationem Iſrael, Leuit. 16. Heb. 9. De reliquis quoque Eccleſiaſticis benedictionibus ne hîc ſim prolixior, idem eſſe iudicium, vel orationes ipſæ, quibus cerei, palmæ, oleum, chriſma benedicuntur, quas in Ordine Romano reperire eſt, & dicto Leiturgicõn noſtrorum T. 2. teſtatum faciunt. De benedictionibus item ſacramentorum, vtpote aquæ in Baptiſmo, chriſmatis in Confirmatione, panis & vini in Euchariſtia, perſonarum per manuum impoſitionem, & alias, in Pœnitentiæ, Ordinis, & Matrimonii, olei denique extremæ vnctionis Sacramentis, alibi latius. Lego autem rurſus ex 1. edit. Gagnæi diſpectorem, pro eo quod Gelenius: deſpectorem,) eo quod adiungatur: arbitrum & iudicem, quibuſcum magis conuenit diſpector, qui diligenter in omnem partem omnia videat & conſideret, quam deſpector, qui deorſum videat, maxime cum ſequatur: ſic Deum honorantes, dum curis obſeruationis, & moleſtiis animaduerſionis abſoluunt. Malo etiam legi, At idem, vti erat prius, quam iidem: quia etiam alibi idem plurali numero vſurpat.

7. Cui iram quidem adſcribunt, &c.] Fortaſſis hoc ad errorem Tertulliani vergit, quo Deum corporeum alicubi facit, & proinde paſſionibus obnoxium, vti latius in Prolegomenis, niſi iram Dei improprie accipiamus, ſicuti alii Patres, pro vindicta Dei. Ad quod videtur ſpectare illud: vnde ira, niſi ex animaduerſione? vnde animaduerſio, niſi de Dei iudicio.

8. Vnde hoc tibi non Chriſtiana?] Ita caſtigauit Latinius, pro Chriſtiane. alloquitur enim animam, & manifeſte id conuincunt, quæ ſequuntur.

9. & vitta Cereris, &c.] Vel hinc patet librum hunc Tertulliani eſſe. Nam ſicuti lib. de Pall. c. 4. vittam Cereris, Pallium coccineum Saturni ſacerdotibus attribuit. & quod ibi dixit de tenebricoſa veſte & capite tetrici velleris Bellonæ, hîc Mineruam (inquit) calceans furis galeam formis: illud explicari poteſt & Clem. Alexandrino adu. Gentes, qui ex quinque Mineruis (ſicuti & Arnob. l. 3.) vltimam facit filiam Pallantis & Titanidis, filiæ Oceani, quæ patre impie ab ipſa ſacrificato, ornata fuit patris pelle, tanquam vellere. Iſtud obſcurius eſt, niſi ex mea coniectura legas Mineruæ calceans furuis galeam formis: vt calceare accipiatur ſicuti illud Act. 12. Calceate caligas tuas, pro induere; & alludat ad vellus furuum ſiue tenebricoſum, quo, tanquam galea caput tegebant Mineruæ ſacrorum miniſtri.

CAP. III.

10. Enimuero cur dæmonia. &c.] Inſcripſimus, caput hoc. De dęmoniis, quod eiuſdem plane eſt argumenti cum 22. & 23. c. Apologetici, ad quæ Lectorem remittimus, hoc addito, quod ex iiſdem aliquot verbis vtrobique patet, Tert. eſſe hunc librum. Vide eadem apud D. Auguſt. lib. 9. de ciuit. Dei, cap. 19.

11. Aliqui Chryſippi adſentator in ludis ea. At eſſe, &c.] Si recte Gelenius, eſt vero plane Tertullianicum, Aliqui, pro, aliquis. Videtur autem Chryſippus Philoſophus (de quo latius l. de Anima, infra T. 3.) dæmonia illuſiſſe, libro, quantum apparet, de diuinatione, quem citat Lactant. lib. 1.

12. Dæmonium vocas, hominem, &c.] Oratio imperfecta, quia dicere oporteret: hominem affectum immunditia, aut ſimile quid. Repoſuimus etiam ex margine editionis Gagnæi, auerſatione; pro, vexatione. Et adnotanda vox phraſeſque Tertullianicæ: interpolatorem, ac damnationis traducem: nam ſimiliter l. de Reſurr. car. ſubſtantiæ traducem dixit, vti etiam adnotauit Latinius: & ſecta in bonam partem.

CAP. IV.

13. Iam nunc quod ad neceſſariorem ſententiam, &c.] Caput hoc De ſtatu animæ poſt mortem tractatum continet. Atqui ſimiliter infra T. 2. l. de habitu muliebri (quod non reticuit etiam Latinius) operas neceſſariores dixit: & T. 3. l de car. Chriſti: neceſſarialiquid. Idem diſpunctio vitæ; pro morte. Auct. frequentiſſ. eſt, vt alibi latius.

14. proque meritis, &c.] Locus pro operum meritis, quales alibi complures. En vero rurſus vocem obſoletam: paſſionalis, pro, paſſioni obnoxiæ.

15. etſi honeſtior multo Pythagorica, &c.] De hac opinione Pythagoræ latius ſupra Apolog. c. 48. num. 606. & infra T. 3. lib. de Reſurr. carn. ac lib. de Anima.

16. etſi plenior Platonica, &c.] De hac ſic apertius initio l. de Reſurr. carn. Platonici (inquit) immortalem animam econtrario reclamant, immo adhuc proxime etiam in corpora remeabilem.

17. etſi Epicurea gratior, &c.] Nihil enim eſſe poſt mortem (inquit ibidem) Epicuri ſchola eſt Et proinde magis gratior, quod ex margine in contextum inſeruit Gelenius, quam, grauior. vt habebat 1. editio.

18 tamen propter ſuum nomen, &c.] Reſurrectionis nomen intelligit Gentibus non nouum modo, ſed & ridiculum, vti videre eſt Act. 17. cum Epicurei & Stoici Philoſophi cum Paulo diſſerentes, Nouorum (inquiebant) dæmoniorum videtur hic adnunciator eſſe; quia Ieſum & reſurrectionem adnunciabat eis.

19 ſi quando extra portam.] Adnotanda conſuetudo extra portam buſta, ſeu ſepulcra condendi, primum apud Ethnicos, deinde apud Iudæos, vti patet ex Chriſti ſepulchro. Io. 19. & mortuo elato adoleſcente extra ciuitatem Naim. Luc. 7. Quæ etiamnum ſeruatur multis in locis apud Gallias: vbi cœmiteria extra ciuitates plerumque videre eſt.

20. cum obſoniis & mattæis tibi potius parentans ad buſta, &c.] Similiter initio l. de Reſu. car. Et tamen (inquit) defunctis parentant, & quidem impenſiſſ. officio, &c. At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque cum ipſos defunctos atrociſſ. exurit (hinc buſta appellata) quos poſtmodum guloſe nutrit. Mattæa enim (Athenæo interprete) dicta pretioſa edulia omnia. hinc Mattæolicus Caldorino guloſus dicitur. Improbant autem eam conſuetudinem adhuc ad id vſq; temporis in Africa, etiam Chriſtianis vſitatam, DD. Ambroſius in illud Lucæ: Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos, ac Aug. l. 6. Conf. c. 2. De mor. Eccl. cathol. lib. 1. c. 34. Epiſt. 64. ad Aurelium, Conc. 1. in Pſal 48. Hodie in locum illarum epularum apud ſepulchra Agape ſeu menſa pauperum.

21 Terram grauem imprecaris, &c.] De prouerbiali hac formula: Sit tibi terra grauis: & altera ſub huius capitis finem: Abiit iam, & reuerti debet. quæ etiamnum vulgo quoque Teutonico in ore eſt, vide noſtra Prolegomena. Sunt autem Tertullianica: qua nec; atquin, congredior, lætioris ſpei.

22. Longum eſt retexere Curtios & Regulos, &c.] Notior eſt Curtiorum & Reguli, qui pro patria mortem oppetierunt, hiſtoria, quam vt pluribus ſit opus. Meminit autem Auctor Reguli, tum vlt. c. Apol. ſupra, tum T. 2. l. ad Mart. Atqui quid Auctori Elogia, partim ſupra diximus c. 2. Apol nu. 22. & mox ex Rhen. latius l. ſeq. ad Scapulam. Poſtumam famam vero Metaphoricõs dixit, eam quæ poſt mortem perdurat.

CAP. V.

23. Hæc teſtimonia animæ, &c.] Titulum dedimus huic capiti: De auctoritate teſtimoniorum Animæ. Vide autẽ rurſus phraſin voceſque Auctoris; tanto, quanto; proſpicem; prouidum: ac exitus ſui aduerſarij ipſius: quamquam ibi mendum ſubeſſe videatur, vt legendum ſit & aduerſarii, vt referatur exitus ſui ad ſtatum animæ poſt mortem, & aduerſarius ad Sathanam, vti ſupra latius cap. 2.

24. Certe prior anima quam littera &c.] Locus iſte, quandoquidem paulopoſt hanc animæ loquelam, Traditionem nuncupat, optime poſſit adaptari ad Traditionum Eccl. auctoritatem; quippe quæ libris omnibus & ſtylo, id eſt, litteratura omni priores ſunt. Quæ voces etiam ſunt Tertullianicæ.

25. antequam Mercurius (opinor) natus fuiſſet.] Mirum eſſet; quod hic & l. de Cor. mil. c. 8. Mercurium litterarum inuentorem faciat, cum Apol. c. 10. Saturno id inuentum videatur adſcribere, ſicuti etiam Minutius in Octauio, & D. Cypr. de Idol. van. (vbi aliquid hac de re adnotauimus, n. 10.) niſi etiam ſcriptores Ethnici ea in re variarent. Hyginus enim fab. c. 277. varijs auctoribus varias adſcribit litteras, vti & Plinius ſub finem l. 7. nat. hiſt. Diodorus interim l. 1. Mercurium eas in Ægyptum intuliſſe ſcribit: eumque Ægyptium quintum eius nominis fuiſſe, Cicero l. 3. de nat. Deorum, & poſt eum Arn l. 3. commemorant, quamquam idem Diodorus paulopoſt Ægyptijs primum tribuit earum inuentum. Verum eorum veriſimilior eſt (vti Apol. c. 19. nu. 276. diximus) ſententia, qui cum Plinio Aſſyrias primas arbitrantur litteras, & ab ijs ad Phœnices & in Ægyptum delatas, à Phœnicibus vero in Græciam, à Pelaſgis in Latium. Quod ipſum de Hebræis intelligitur in Syria etiam ante diluuium vſitatis. Scribit enim Ioſephus Antiq. l. 1. à liberis Seth duabus columnis inſcriptam fuiſſe diſciplinam rerum cœleſtium, quarum eam quæ lapidea fuit ad ætatem vſque ſuam in Syria perduraſſe affirmat. Euſ. denique de Præpa. Euang. l. 10. ca. 2. multis comprobat, ab Hebræis primum litterarum tradita elementa.

26. vt ſuo loco edocuimus.] Alludit hauddubie ad c. 19. Apol. quo Lectorem ad Adnot. noſtras remittimus. Eſt vero etiam Tertul-

A *lianicum*, multo ſæcularibus litteris antecedant: *quod vt contradictionem in ſe non includat, videtur legi debere*: non modica tantum ætate: *pro*, vel modica. callofitatem *autem pro vetuſtate accipit, non aliter atque Cicero l.3. Tuſc. qu. callum vetuſtatis dixit.*

CAP. VI.

27. Crede itaque tuis, &c.] *Caput hoc merito* Epilogus *inſcribitur. Atqui pulchra eſt paulopoſt Antitheſis:* Cur ad cœlum conteſtatur, & ad terram deteſtatur? *Ac ſi dicat: Deum in cœlum ſuſpiciens teſtem aduocat, & vultu in terram depreſſe dæmonia execratur?*

28. cur alibi ſeruit, alibi vindicem conuenit?] *Alludit ad id quod ſupra cap. 2. dixit:* In ipſis denique templis Deum iudicem imploras: *præterquam quod hic non ſolum vt* iudicem, *ſed & vt* vindicem *inuocari ab ipſis Deum inſinuat, id eſt, vt redemptorem & adſertorem, quemadmodum ad leges 12. Tabul. hunc locum citans latius interpretatur Reynardus noſter cap. 8. & 9.*

29 quæ propinquæ inter ſe habentur, &c.] *Veteres enim Græcas litteras eaſdem pene fuiſſe, quæ nunc Latinæ ſunt, indicio eſſe ſcribit Plinius, vbi ſupra, Delphicam tabulam æneam, quæ Romæ in palatio Mineruæ adhuc conſpiciebatur eius temporibus. Deinde de conuenientia Latinæ & Græcæ linguæ complures ſcriſerunt, nominatim vero Adolphus Meet Kerchus noſter, l. de vet. & recta pronunt. linguæ Græcæ.*

B

ARGVMENTVM
LIBRI AD SCAPVLAM
Per Iacobum Pamelium.

QVVM ſub ipſis initiis adhuc quintæ perſecutionis, ſuo Apologetico Romam miſſo vſque adeo nihil ſe profeciſſe videret Tertullianus, vt Scapula, Prouinciæ Africæ Præſes, Carthagini ceteris crudelius in Chriſtianos graſſaretur: hunc libellum velut deprecatorium ad illum miſit.

I. *Non quod Chriſtiani tormenta expaueſcerent, qui magis damnati gaudeant quam abſoluti, ſed quod ipſis timerent, qui ſe perſequebantur, quos diligere, & pro quibus orare iubentur.*

II. *Quare (principio & ſub finem) paucis inculcat ſuorum innocentiam, quam late proſecutus eſt dicto Apologetico à c. 28. ad vſque 46. quippe quum nullius hoſtes ſint, nedum Imperatoris; quem ſcientes à Deo ſuo conſtitui, ſaluum velint cum toto Romano Imperio, quouſque ſæculum ſtabit: tam diu enim ſtabit pro cuius ſalute Deo ſuo & ipſius Imperatoris non orent modo, ſed & ſacrificent.* E

III. *Verum dolere ſe, quod neque ipſe Scapula, neque vlla ciuitas impune latura ſit ſanguinis noſtri effuſionem, maxime quum ſigna imminentis iræ Dei portenta aliquot præceſſiſſent, tum meſſis nulla, & imber nimius, tum ignes, qui ſuper mœnia Carthaginis proxime pependerant, & ſolis pene lumen extinctum in conuentu Vticenſi: inſuper etiam quorundam Præſidum, qui Chriſtianos vexaſſent, vitæ exitus id atteſtarentur.*

IV. *Proinde monet eum* μὴ θεομαχεῖν*, qui poſſit & officio iuriſdictionis ſuæ fungi, & humanitatis meminiſſe, ad inſtar aliorum multorum, & nominatim ipſius Seueri Imperatoris, patris Antonini, qui Proculum Chriſtianum, qui ſe per oleum aliquando curauerat: quem & Antoninus Chriſtiano lacte educatus optime nouerat, in palatio ſuo vſque ad mortem eius habuerit, ac clariſſimas fœminas & viros ſciens huius ſectæ eſſe, teſtimonio exornarit, & populo furenti in os reſtiterit.*

F

V. *Illorum igitur exemplum ſecutus, parcat Carthagini, quæ alioqui decimanda foret, parcat propinquis ſuis, & propinquorum amicis: parcat denique Prouinciæ, quæ obnoxia tam facta erat concuſſionibus militum, maxime quum tunc ædificetur magis hæc Chriſtianorum ſecta, cum cædi videtur.*

VI. *Ceterum hic vnus etiam eorum eſt librorum Tertulliani, quos plures D. Hieronymus Epiſt. ad Magnum aduerſus Gentes commemorat: & eundem imitatur D. Cyprianus ad Demetrianum, Africæ itidem Proconſulem. Recenſent eundem Trithemius Abbas ſcriptis Catalogo: & Politianus antequam in lucem ederetur: neque quiſquam vnquam, quin huius ſit Auctoris, dubitauit. Editus eſt autem primum à Rhenano, repurgatus ab eodem ex cod. Gorzienſi, additis ſecunda vice Adnotationibus, & deinde ad exemplar Anglicum caſtigatus à Gelenio: à nobis denique ad Romana tria Vaticana recognitus, & Adnotationibus auctus.*

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI [1] AD SCAPVLAM LIBER.

C NOS [2] quidem neque expaueſcimus, neque pertimeſcimus ea, quę ab ignorantibus patimur: [3] cum ad hanc ſectam vtiq;, ſuſcepta conditione eius, pacti venerimus, vt etiam [4] animas noſtras autorati in has pugnas accedamus, ea quæ Deus repromittit, conſequi optantes, & ea quæ diuerſæ vitæ comminatur, pati timentes. Denique cum omni ſæuitia veſtra concertamus, etiam vltro erumpentes: magiſque damnati quã abſoluti gaudemus. Itaque hunc libellum non nobis timentes miſimus, ſed vobis & omnibus inimicis noſtris, ne dum amicis: Ita enim diſciplina iubemur diligere inimicos quoque, & orare pro eis qui nos perſequuntur: vt hæc ſit perfecta & propria bonitas noſtra, non communis. Amicos enim diligere omnium eſt, inimicos autem ſolorum Chriſtianorum. D Qui ergo dolemus de ignorantia veſtra, & miſeremur erroris humani, & futura proſpicimus, ſigna eorum cottidie intentari videmus, neceſſe eſt vel hoc modo erumpere ad proponenda vobis ea; [5] quæ palam non vultis audire. [[6]

II. Deut. 6. Pſal. 113. Nos vnum Deum colimus, quem omnes naturaliter noſtis: ad cuius fulgura & tonitrua contremiſcitis, ad cuius beneficia gaudetis, Ceteros & ipſi putatis deos eſſe, quos nos dæmonas ſcimus. Tamen humani iuris & naturalis poteſtatis eſt vnicuiq; quod putauerit colere: nec alii obeſt, aut prodeſt alterius religio. [7] Sed nec religionis eſt cogere religionẽ, quæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi: cum & hoſtiæ ab animo libenti expoſtulentur. Ita etſi nos compuleritis ad ſacrificandum, nihil præſtabitis diis veſtris: ab inuitis enim ſacrificia non deſiderabunt, niſi contentioſi ſunt: contentioſus autẽ Deus non eſt. G Deniq; qui eſt verus, omnia ſua ex æquo, & prophanis, & ſuis præſtat. Ideoque & iudicium conſtituit æternum de gratis & ingratis. Tamen nos, quos ſacrilegos exiſtimatis, nec in furto vnquam deprehendiſtis, nedũ in ſacrilegio, Omnes autẽ qui templa deſpoliant, & per deos iurant, & eoſdem colunt, & Chriſtiani non ſunt, & ſacrilegi tamen deprehenduntur. Longum eſt, ſi retexamus, quibus aliis modis & derideantur & contemnãtur omnes dii ab ipſis cultoribus ſuis. Sic & circa maieſtatem Imperatoris infamamur, tamen [8] nunquã Albiniani, nec Nigriani, vel Caſſiani inueniri potuerunt Chriſtiani: ſed [9] idem ipſi, qui per Genios eorũ in pridie vſque iurauerant, qui pro ſalute eorum hoſtias & fecerant & vouerant, qui Chriſtianos ſæpe damnauerant, hoſtes eorum ſunt reperti. Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris: quem ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt vt & ipſum diligat, & reuereatur, & honoret, & ſaluum velit, cum toto Romano Imperio, H quouſq; ſeculum ſtabit: [10] tandiu enim ſtabit. 1. Theſſ. 2. Colimus ergo & Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt, à Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe volet. Sic enim omnibus maior eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt. Sic & ipſis diis maior eſt, dum & ipſi in poteſtate ſunt eius. 1. Tim. 2. [11] Itaque & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro & ipſius: ſed quomodo præcepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus conditor vniuerſitatis odoris, aut ſanguinis alicuius. Hæc enim dæmoniorum pabula ſunt. Dæmones autem nũ tantũ reſpuimus, verũ & reuincimus, & cottidie traducimus, & de hominib⁹ expellim⁹, ſicut plurimis notũ eſt. Ita nos magis oram⁹ ꝓ ſalute Impera-